1615

DE DOMINIO MARIS, IVRIBVSQVE AD DOMINIVM PRAECIPVE SPECTANTIBVS *ASSERTIO BREVIS ET* METHODICA.

Cosmopoli,
Excudebat G. Fonti-siluius
16. *Calend. Ianuar.*
1615.

AD PRINCIPEM SERENISSIMAM, ANNAM D. G. ANGLIÆ, SCOTIÆ FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REGINAM.

IVris maritimi epitomen auctam & recognitam Regi meo, huius ſeculi ſpeculo, ante triennium obtuli: iam vero, ne officio meo, Maieſtati tuæ debito, deeſſem, eiuſdem iuris articulum, De Dominio Maris, *diligentius retractatum, vtpote contra extraneos piſcandi immunitatem in Mari Britannico iniuria vſurpantes, Maᵗⁱ. tuæ dicare inſtitui. Quod mihi facere licere humiliter rogo; Deum precando vt Maᵗⁱ. ſoboliq; tuæ omnimoda benedictione beneaicat.*

Maᵗⁱ. tuæ
ſeruus humilimus
Guilielmus Welwod.

Lectori Aequiori.

Mirabere fortè tantulum de re tanta compendium: ſed hunc agendi modum, vt mihi ingenitum, ſic tibi veritatiq; conſultiorem putaui: Tibi quidem breuitate, ſed perſpicua: veritati vero, ſimplicitate genuina, qua quum amicitur, tum & armatur & ornatur. Eam itaque ad eum modum tibi exhibeo, boni conſule ac benè vale.

Assertionis capita.

1. *Dominia esse in Mari, eaque distincta.*
2. *Ius nauigandi in Mari non esse omnimodo liberum.*
3. *Ius piscandi in Mari esse maxima parte appropriatum.*
4. *Mare esse vectigale.*

Errata.

Pag. 12. lin. 30. lege αττιδωρον & p. 18. lin. 12. l. capenatis Et quia duo verbula desiderantur p. 21. vt in fine l. 28. post dictionem *fore* supple *Iustinianus*: & in fin. l. 30. supple verb. *esse*: errata vero literaria aut distinctoria, benevolum lectorē condonaturum spero.

DE DOMINIO MARIS IVRIBVSQVE AD DOMINIVM PRAECIpue ſpectantibus, aſſertio breuis & Methodica.

CAPVT I.

Dominia eſſe in Mari, eaque diſtincta.

MOmenti maximi argumentum digniſſimum, ſi quod hodie alterum, aggredior; Maris ſcilicet in dominia diſtincta partitionem legitimam, omni iure, diuino humanoq; comprobatam: Sed ignorantia quorundam impeditam, vt aliorum violentia impetitam. Impeditam dico per veteres quoſdam Iuriſconſultos, Poetas, Oratores, & id genus humaniores ſcriptores, verum ius naturale ignorantes: Qui propterea poſterorum animos opinione præpoſtera, de, neſcio qua, vniuerſali rerum communione penitus infecerunt. Impetitam addo, propter aliquos auariores qui hæreſim hanc auidiſſime amplexantes omnibus ſcripti factiq; modis, neceſſariam maris diuiſionem, cum impugnare tum prorſus confundere ſtudent. Obſtacula iſta periculi plena, ana-

baptiſmum forte redolentia, de deteſtanda hac communione, ante omnia, remouenda puto; vt poſt facilius ad legitimam vtiliſſimamque maris diuiſionem regrediar.

C. Ius naturale. diſt. 1

Aſſertorem, inter paucos, habuiſſe videtur Gratianum, qui quidē ad ius naturale refert [a], ſed inſcite, quia communione iſta, cuiuſcunq; iuris prætextu ſemel conceſſa, incommoda plurima abſurdaq; ſequentur innumera: nam quid fingi poteſt, hodiernæ hominum naturæ ſpōte litigioſæ, & ad omne malum præcipiti, magis contrarium, vel in conſociationis, commerciorumque iura pernicioſius? Communio enim vt parit diſcordiam [b]: ſic & rerum ipſarum corruptionem perditionemq; procurat, dum vel inuidenter [c], vel negligenter, vel difficulter poſſidentur [d]. Quas obcauſas Abraham & Loth [e], viri diuinitus humanituſq; coniunctiſſimi, & poſt ipſos, Iacob & Laban [f], ab iſta communione diſcedere coacti fuerunt. Sed quod incommoda hæc ſuperat omnia, occurrit iuris diuini manifeſta eluſio. Quorſum enim Deus prohibuiſſet furtum [g], aut terminorum remotionem [h], ſi damnabilis iſta rerum communio iure quouis velari poſſet? Quam protegere forte conabuntur, iure illo, quod iſti primæuum vocant, nempe quo ſecundum Ciceronem, priuata nulla ſunt [i]. Id quod ridiculum quoq; eſt: quoniam ius diuinū, quod vere primæuum & huic contrariū eſt, cordibus humanis naturaliter inſcriptum ſecundū *Paulum* [k]: adeo vt cum ſibilo è Chriſtianorum cœtu explodendi ſunt qui vel *Ciceronis*, *Auieni*, *Senecæ*, *Virgilii*, *Plauti*, *Ouidii*, neſcio quæ, dicta partim mutila, partimq; inter ſe pugnantia, in aciem quaſi ad veritatem oppugnandam, calumnioſe producunt; quum Chriſtiani poſſint debeantq; primæuam rerum ſeu proprietatem ſeu communio-

k. *Secundum Papinianum in l. cum pater §. dulciſſimis. De leg. 3. & Ariſt. polit. 2. c. 3. & Valer. lib. 9.*

c. *l. 2. quand. & quibus 4. pars. C. li. 10.*

d. *l. qui neque in fin. de reb. eor. qui ſub tut.*

e. *Gen. c. 13. ver. 8. &c.*

f. *Eod. c. 31. per tot.*

g. *Deuter. 5. 25. Exod. 20*

h. *Deut. 19. 14.*

i. *Officior. 1.*

k. *Rom. 2. 14. 15. &c.*

munionem certius multo doceri ab iis qui scriptores omnes Græcos Romanosq; & seculis & omnimoda sapientia antecesserunt.

Sed vrgendo propositum, meumque ad promissa regressum; concedent fortassis aduersarii, vera hæc omnia quoad res mobiles, nempe quæ vel ob vsum vel abusum, omnibus promiscue patere nequeunt, quarunque dominia incerta esse non expedit, dictante Caio l; ne occasio vlla ministretur litibus quas fine aliquo consopiri oportet m, præsertim publicas, licet cum priuatorum damno n. Omnium namque legum suprema, salus populi esto o. Verum hic instabunt asserendo immobilia vt arida, mariaque esse alius conditionis, ac iure naturæ omnia omnibus communia proclamanda: quibus quoq; respondebimus per verba ipsius qui naturæ omnis author vnicus est, rationesque nostras a rerum naturalium primordiis, simplicitate (quæ legibus amica est) summa deducemus.

l l. 1. de vsucap.
m l fin. pro suo.
n. Secundum not at. in l. quidam 21. Si cert. pet at.
o. Cicero de legib.

Postquam Creator ineffabili sua sapientia, potentia, & erga hominem, indulgentia, ex quatuor elementis, ad perfecti Globi complementum, mire dispositis, duo hominum pedibus subiecisset terram nempe aquamq;, ac reliqua duo supra nos in Gyrum fluitantia constituisset: *Benedicendo dixit* p *homini, augescite implete terram, eamque subiicite, & dominamini in pisces Maris, &c.* Id quod exequi nequibat nisi in aquas ipsas quoq; dominatus esset. Itaque post diluvium, *Quum benedixisset Noacho* r *filiisque eius, Dixit, foetificate, augescite & replete terram*: quod quo facilius perficeretur, dum posteri Noachi turrim illam execrabilem fastuose extruerent, *Iehoua descendit, ac dispersit eos inde in superficiem totius terræ* s: *& ab his diuisæ sunt regiones gentium per terras earum, cuique secundum linguam suam & familias*

p. Gen. 1. 28
r. c. 9. 1. eod.
s. Eod. c. 11. 5. 8.

ipſarum in gentibus ſuis, inquit *Moſes* [t], ſubiungens, *Hebero editi ſunt duo filii, quorum vnius nomen Peleg, quoniam diebus huius diuiſa fuit terra* [u]. Quin & appropriationem in ipſo Caino cœptam fuiſſe, Moſis illud liquido declarat, *Erat inquit ædificans ciuitatem, & vocauit nomen ciuitatis illius ex nomine filii ſui Chanoc* [w]. Quæ omnia Paulus Apoſtolus paucis clareque in hunc modum, Athenienſibus ſermocinando, reſumit, *fecitque* Deus *ex vno ſanguine totam gentem hominum vt habitaret in vniuerſa ſuperficie terræ --- poſitis terminis habitationis eorum* [*].

t. *Eod. c.* 10. 5
u. *Ibid. v* 52.
w. *Gen.* 17.
* *Act.* 7. 26.

Ex quibus euidenter apparet res inferioris mundi non eſſe a primordio, ſiue à natura, ita communes, vt nonnulli mortalibus perſuadere nituntur: quandoquidem Deus ipſe qui naturæ author eſt, diuiſionis quoq; author vt & compoſitionis fuerit. Atqui hoc eſt ius illud ex quo (inquit Hermogenianus [x], Iuris conſ. non ignobilis,) *Gentes diſcretæ, regna condita, dominia diſtincta, & agris termini poſiti ſunt*, vt liquidiſſime conſtet, arida ſiue terras, iure ipſo primario per legiſlatorem primarium, vna cum rebus omnibus arido contentis, non eſſe communia.

x. *l. ex hoc iure* 5. *de iuſt. & iur.*

Terra ergo ſic diuiſa, hominibuſque ad infinitatem repleta, ſed neceſſaria tamen omnia, ad vſus humanos, non vbique ſufficiente, iuxta tritum illud, *Non omnis fert omnia tellus*: placuit non modo piſcandi, ſiue in piſces dominandi cauſa, ex Creatoris mandato, ſed & cõmercii gratia, maria continuis Nauigationibus occupare, atque ita maris diuidendi occaſionem præbere. Quas occaſiones, vna cum ipſis neceſſitatibus, quum *Baldus* conſideraſſet, ſimulatq; noſtri ſeculi coactam Praxim, cum ſapientiſſimorum ſententiis ponderaſſet, in hæc verba erumpit, *Videmus de iure gentium in mari eſſe diſtincta dominia, ſicut in terra arida* [y]. Ius ve-

y. *ad l.* 1. *de rer. diuiſ:*

ro quod audet quiſquam iſto antiquius allegare? niſi illud quod falſo vocant primæuum, hoc eſt, mere naturale, brutis æque cum hominibus commune: id quod nequaquam ius, ſed inclinatio vitioſa corruptaque dicendum potius.

Ius ergo quod ab omnibus æque gentibus, ob euidentem rationis vim quam omnibus dictat [z], in hac controuerſia valere volo; Vt ſecundum quod dominia diſtincta ſunt [a], non modo in terra, ſed & in ipſo mari, Adeo vt *Ariſtoteles* ſeculis aliquot, ante omnes *Romani* iuris peritos, de gentium conſenſu hauſerat, in *Mediterraneo* Mari cuiq; Regioni partem proximam quaſi aſſignari, ideoq; partes illas ab iiſdem regionibus, ordine cognominat [b]. Vt Gallicum, Sardoum, Creticum, AEgyptiũ, &c. Cuius veſtigiis *Strabo*, *Mela*, *Dioniſius*, cæteriq; Geographi omnes, tam veteres quam recentiores, inſiſtentes, hanc Maris diuiſionem, tam in *Oceano* quam in *Mediterraneo*, ex gentium quoque aſſenſu particularius deſcribunt pleniuſq; confirmant.

Immo *Bartolus* ipſe, quem iuris lucernam vocant [c] non tantum iſti maris diuiſioni, cum reliquis iuriſperitis ſubſcribit, modo vulgari, ſed certã porro partem, prout fert, maris, magis minuſue ſpatioſa conditio, vnicuiq: regioni proxime adiacenti, ad centũ milliaria antrorſum mareverſus aſſignando [d]. *Bartolum* laudat *Cepola* Doctor non obſcurus [e].

Quin & ipſi veteres iuriſprudentes, maris illam communionem, vt & ſimilium rerum, ſic conſtringunt, vt reprobaſſe præſtitiſſet. Exempli cauſa, Scribit *Pomponius*, Siquid in mari littoréue extruimus, non prius fit noſtrũ quam Prætoris decretum adhibitum fuerit, vt id facere liceat [f]; Saltem vel licentia petita fuerit, ab aliquo, cui prin-

x. *l. omnes. 9. de iuſt. & iure: & l. 1. de acq: rer: domi.*

a. *d. l. ex hoc Iure.*

b. *lib. de mundo. ca. 3. &c.*

c. *Chriſtopho: Winceſlerus conſil: 1.*

* *Vide Bald. in l. pen. C. de inſt ſub. cond. & in 6. accedens. in fin. vt lit. non conteſt & Decium in c. licet cauſam. de prob. item Ioannem Andream gloſſ. & Dominic. in c. periculum. §. porro. de electionib.*

d. *in tractatu de inſul.*

e. *in tractat. de ſeruit.*

f. *l. quamuis. de acq. rer. dom.*

princeps hoc concesserit, secundū *Vlpianum* g. Ex quibus & hoc obiter emergit, quod in ipsas istas res quas alioqui pro communibus venditant, dominium tamen aliquod Principi attribuunt. Veh quales fuere, maximā partem, Iurisconsulti illi Romani, vt eorum responsa, plerunq; dubia rationibus contraria, saltem ratione (quæ legis anima ac lex tacita est h) destituta, tanquam oracula commodo publico præferri oporteat. Quid quod in Iuris defectu, nos licenter remittunt, aliquando ad Philosophorum ænigmata i, quandoq; ad Poetarum figmenta k, nonnunquam ad Medicorum coniecturas l.

Denique cum huius controuersiæ *Cardo*, à Iure gentium plane pendeat, quumque ius gentium versetur in naturali commodorum incommodorumque gentes in commune pertingentium, raticionatione; Gentes autem hoc seculo quam superioribus, vt sunt ad rem attentiores, sic & circa commodorum computum accurate prudentiores, vero simile est gentes populosque maritimos emolumenta cum damnis expendentes, decreuisse, Maris diuisionem & commodam & necessariam esse, prout reipsa hoc est negotiationibus omnis generis, Decretum hoc quotidie signant, ac pro iure in quod omnes consensere, confirmant.

Excipio gentem vnicam, gentem nempe cui solum patrium lacte licet luxuriet, necessariorum tamen liberrima aliunde communicatione, immo reliquarum gentium spolijs affluenter, & ad fastum ditata, omni distinctione contempta, *in Mari suo libero*, inuictissimam se palam prædicare non veretur n.

Sed instant communionis assertores, negando Mare esse naturaliter diuiduum, etsi in ipsius diuisionem oēs sine exceptione consperarent. Respondeo primū: quod quamuis Deus dixerat, *Confluant aquæ istæ sub Cœlo ad locum*

g *l. prohibere §. 5. etsi quod vi aut clam.*
h. *l. cum naturalis. de bon. dam.*
i. *l. proponebatur, de iudic. l. si pater de solut.*
k. *l. in tantam in fin. de acquir. rer. dom*
l. *l. septimo. de stat. hom.*
m. *Wesenb. ad Tit. de iust. & iur.*
n. *Pag. 64, mar. liber.*

*cum vnum*o. *Singulaq; aquarũ conceptacula Maria vocauit: alibi tamẽ ait*p, *Vt flumina oĩa ad Mare fluunt, sic ad sua retrorsum loca properare* perpetua reciprocatione: Mare igitur cum constet ex aquis ab inuicem diuisis, & ipsum quoq; naturaliter diuisionem qualem qualẽ pati oportet q. *Quin* & mutationem quæ est in Mari, secundum partes, continua, propositæ diuisioni neutiquã officere dico, quoniã Mare ipsum perpetuo idem est, eodemque loco constanter manens, vt in multis cæteris rebus. *Exempli gratia*, legionem eandem esse censemus, ex qua multi decesserunt, quorum in locum alij subiecti essent; populumque eundem putamus qui abhinc centum annis fuerat, etsi ex illis nemo nunc viuat: Item nauem, quæ tam sæpe resecta est, vt tabula nulla permaneret, quæ non noua esset, nihilominus eandem esse quæ ab initio fuit, existimamus. Immo si partium commutatio rem aliam faceret, nec nos ipsi idem essemus quod paucis abhinc annis fuimus, quia particulæ quotidie de corpore nostro decedunt, aliæque extrinsecus in locum earum succedunt, vt eleganter omnia recensuit *Alphenus*r. Obiiciunt denuò constugem istam aquarum, etsi diuiduam, attamen tam fluidam instabilemque vt certis constantibusque limitibus distingui, saltem secerni nequeat. Responsum in promptu est. Non tantũ Mare ipsum, seu aquarũ congregatio, secundũ totum, mandato Diuinos

Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas:

Sed & Maris partes, habent, peritiorum solertia, limitationes certas & perfaciles, fateor non vbique visibiles per eminentes scopulos, Insulasue, quales sunt Iersea, Gernseaque, vel per harenas vadosas, vndis alte spumãtibus procul conspicas, quales habet *Anglia* ad Occidentem, *wasshes*, vulgo dictas. Deus enim, qui primitus

o. *Genes.* 1. 9. 10.
p. *Eccl.* 1. 7. & *Ec.* 40. 10. & *Aristotel. meteor. l.* 1. *tap.* 1.
q. *Secundum Aristotelem. cap.* 9. *de mundo.*
r. *In l. proponebatur. de iudic.*
s. *Psal.* 104. 9. & *Prou.* 8, 29.

tus distribuit, ac distribuendo diuisit, hodieq; diuidit, tum aquas, tum terras, dedit homini cor ingenioſe intelligens, & omnimodo ſagax, ad diuiſionis modum, in defectu limitũ natura arteue poſitorum, penitius ſubtiliuſq; inueſtigandum, æque ac ad reliquas omnes in vita noſtra actiones perſequendas : Magnetis etenim bolidiſq; auxilio cùm accurata variantium in Mari diſcurſuum ſupputatione, finitum in infinito deſignare docuit, id quòd experientia quotidiana ad oculum comprobat.

Eſt itaq; Mare, natura, arte, iureq; ad certos limites in dominia diuiduum. Fateor hic dominii partem potiorem, eſſe poſſeſſionem, & ex ea dominium primum cœpiſſe[t]. *Quam Labeo a ſedibus deriuat*[v], *quaſi poſſeſſio eſſet ſedis poſitio, quoniam in re poſſeſſa ſedem ponimus*: vnde *Theophilo definitur rei detentio*[x]. Fateor quoq; Mare non eſſe corpus ſolidum, ſicut terram, vt in ipſo vel ſedes facile poni, vel vt eius detentio aliqua fieri poſſit, adeo vt proinde dominium omne reſpuere videatur. Sed hiſce quam ociſſime occurrit *Paulus* Iuriſconſultus, affirmando, *Omnia corporalia poſſideri poſſe*[y]. Mare autem etſi non ſolidum, corpus tamen eſt tale, in quo ſedes variis modis poni figiq; videmus, præſertim in partibus corporaliter occupatis, cuius reliquum vel animo poſſideri poſſe ſufficit, ad exemplum fundi partiſue terræ qualiſcunq;, ſecundum eundem *Paulum*, [z] cuius verba hæc ſunt: *Non vtiq; ſic accipiendum eſt, vt qui fundum poſſidere velit, oẽs glebas circumambulet : ſed ſufficit quemlibet partem fundi introire, dum mente & cogitatione hac ſit, vti totum vſq; ad terminũ poſſidere velit*: quod itidem de Mari cenſendum.

[t]. *l.* 1. §. 1. *de acq. poſſ:*
[v]. *d. l.* 1. *in pr.*
[x]. *Inſt. de interdict.*
[y]. *l.* 3. *in pr. de acq. poſſ.*
[z]. *d. l.* 3. §. 1.

Concluſionem correctiorem plenioremq; repeto; Mare, natura, Arte, Iure, ipſo facto, req; vera, non phantaſtica

taſtica, ad poſſeſſionem vſumq; noſtrum, in dominia diſtincta diuiduum eſſe.

Verùm nequis obganniat, dominia hæc noſtra Maris, ſuper probabilibus mage extrui; placet, inter alia plura argumẽta, quæ ad ſua deinceps loca remitto, vnũ hoc ſubiicere, rationis oĩs vi atq; neceſſitate ſuffultum. Maris protectio ad omnes pertinet, ſiue principes, ſiue populos, pro rata parte illius portionis quæ ad eos propius accedit, nempe vt potentiâ diligentiâq; ipſorum, mare Nauigantibus, Piſcantibuſq;, pervium reddatur atque ſecurum[a]: Protectio verò maris ſine iuriſdictione exerceri non poteſt[b], vt nec iuriſdictio ſine coercitione aliqua[c]. Iuriſdictio vero etſi per perſonas & in perſonas exerceatur, territorio tamen tanquam accidens materiæ neceſſario tenaciterq; affixa cohæret[d]. Id eſt, exercetur in perſonas certi ac definiti territorii: & qualiter in terra, taliter in mari[e]. Atqui vt Inſulæ in mari proxime adiacentes[f], ſic & mare ipſum ad centum vſq; milliaria pro territorio diſtrictuque illius regionis cui proximè appropinquat, aſſignatur[g]. Territorium porrò omne Dominum habeat aliquem oportet, vel, (quod idem valet) in dominio alicuius ſit, neceſſe eſt. Mare ergò terræ proximũ eiuſdem terræ proximæ dominum agnoſcere cogetur: pars etenim illa maris proxima, ſic terræ proximæ copulatur, & vt ſic loquar incorporatur, vt ne Principi dominoue illius terræ regniue, vel particulam, vſumue alienare aut locare licet magis quam regnum ipſum regnique patrimonium.

Vltra has maris partes terræ proximas, quicquid reliquum eſt, vaſtum videlicet immenſumq; æquor, omnibus gentibus ad omnes vſus indifferenter patere debere, extra omnem controuerſiam pono. Quamuis Doctores, veterum Iuriſconſultorum opinionibus temerè

a. *Secundum l. 1. C. de claſſi. lib. 10. vbi Bartol. per l. Cæſar de pub*

b. *Per l. littora. & l. 2. §. 8. ne quid in loc. pub. & l. 1. § ſi mare de flum*

c. *l. fin § fin. de off. eius cui mand. iuriſd. & l. magiſtratus de iuriſd.*

d. *per l. fin. de iuriſd. & Bartol. ad l. inter eos. de acq. rer. dom.*

e. *Per notata ad c. vbi periculum de election. l. 6.*

f. *per l. inſulæ. de ind. & l. Cæſar. de publ.*

addicti, mare etiam vastum nescio cui imperatori deferunt [h]: sed ridicule: nam etsi illis veterum seculis, imperator Romanus sic viguit floruitque, vt *se mundi Dominum* profiteri ausus sit [i], hodiè tamen mundum illum suum, inter tot nouos potenteque dominos discerptum videmus, imperijque sui reliquias quasi ad putamen redactas, vt verius imago imperij quam imperium dicendum sit, vt cum *Davide* facilè subscripserim *Placentino*, *millum vnum esse totius maris dominum*, vt nec terrarum, præter Deum ipsum, cui cum omni laude omne Dominium, Amen.

h. *Bartol in tract. tyberia. & Cepolam d. tract. de seruit.*
i. *l. deprecatio ad l. rhod.*
k. *Psal. 24. pr.*

Sed non deerunt qui cauillis suis fundamentum illud (dominamini in pisces maris) conuellere conabuntur, inferendo aêris quoque in dominia diuisionem, eadem prorsus authoritate stabiliri posse. Etenim quando dixit Deus *Dominamini in pisces maris*, continuo subdit, *& in volucres cœli.* Dominium autẽ vel in dominia diuisionem, naturalis aêris subtilitas fluxibilitasque perpetua, auersari videtur. Respondeo breuissimè. Si quis vicinus prædio meo vrbano stillicidium proiectumue sic immittere tentet, vt ne prædium meum tangat quidem, Dico tamen me, ipsum prohibere posse ne faciat, ac si nihilominus immiserit, me agere posse contra eum interdicto, quod *vi aut clam*: ratio est secundum *venuleium* [l]: *Quia prædii sit mei, non solum is locus quo prædium in terminis suis*, hic infra limitatur, *sed & omne etiam supra id cœlum*: adeò vt possim hoc respectu, aëris vt cunque fluxilis, Dominium aliquod ad iustam prædij proportionem sursum versus, ad vsque cœlos vendicare: Ac proinde secundum *Catum* [m], *prohibere ne quis ingrediatur fundum meum ad volucres captandas, etiam, in aëre volitantes.*

l. *l. vlt. §. 1. quod vi aut clam.*
m. *l. . §. 1. ver. plane de acq. rer. dom.*

CAPVT.

CAPVT II.

Ius nauigandi in mari non esse omnibus omnimodo liberum.

DE Mari in dominia, per partes terræ proximas, distinctè distributo hactenus. Proximum est vt dominiorum istorum iura primaria deinceps tractemus, ea quæ duo sunt præcipue, ius nauigandi ac ius piscandi, cum eorum appendice, potestate videlicet legitima, vectigalia vtrique ob causas iustas imponendi. De quibus omnibus succinctè, perspicuè, vereque dicere instituo.

Magna res maris imperium, inquit Pericles [a] cui succinit Alcibiades, [b] *nostri maiores nulla re alia imperium hoc comparauerunt nisi potenti classis magnitudine*: Quod Imperium *Bardelonius* extendit ad potestatem imponendorum vectigalium vel solo dominij nomine, quia inquit ille maria fluminaq; sunt hodie *appatronata* [c]. Cepola enim affirmat venetos posse nauigantibus in Gulpho suo imponere gabellas; rationem addit *quia totus mundus hoc iure vtitur*.

Invehitur quidem Ambrosius in eos qui maria claudunt, sed (salua reverentia) temere fortasse, si Rhodum Venetias, Britanniam cæteraq; insulas pari conditione cum Continenti concluserit: nam quid rationi magis consonum quam vt, quos mare claudit, et ipsi maria rursum quatenus possunt claudant. Sed ad ius nauigandi

a. *Apud Thucididem.*
b. *Ibidem.*
c. *Consilio.* 91
d. *In tract. de seruit. per l. colonus* §. *nauem. locat.*

gandi redeamus. Est quidem nauigatio extra omnem controuersiam nō modo vtilis, sed et ad omnes humanos vsus necessaria, ac proinde omnibus absq; licentiæ petitione permittenda vt inquit *Baldus* [f]. Sed regula ista, vt & reliquæ fere omnes in iure, suas patitur exceptiones. Quarum vna hæc esto, ne sint inimici qui per *appatronata* maria (vt loquitur ille) nauigare volunt: isti enim absque omni iniuria abarceri possunt non secus quam in terra. Altera succurrit. Si mare nauigantibus periculosum fuerit, vel propter latentes scopulos, vel harenarum cumulos alte vadosos, his casibus si per euidentia signa, *Becona* vocant, isthic posita, nauigantium saluti prospectum est, merito vectigal (vulgo *beconagium*) agnoscere coguntur: similiter si vadosa illa tam inconstanter, æstu maris, harenarum lapillorumue cumulum huc illuc agitante, mutantur, vt nullo perpetuo signo verus alueus demonstrari queat, sed gubernatore seu piloto aliquo ex propinquis locis opus sit, vel hoc casu, mercedē aliquam, *pilotagium* dicitur, soluere oportet. Similiter si ad tempestates deuitandas portum aliquem introire necesse sit, tunc occurrit illud quod *anchoragium* vocant, ad portus reparationem, vt ad quam boni omnes, operumq; publicorum studiosi, vltrò etiam absq; hac occasione conferre debent [g]: sicuti ad sustentationem luminarium de pharis speculisue suspensorum. Sin mare istius modi periculis liberū fuerit, non video cur ventis secundis ad institutam nauigationem nō vterentur, si nullaália negotiatio prohibeat: Nisi piratarum metus protectionem postulet: quo casu non tantum obligantur nauigantes ad [illegible] obligatione scilicet naturali [h], et cōmodum cōmodo cōpensandum [i]; nempe si certa sint pericula, & maris illi-

Ad l. item illi. de rer. vs.

g. l. al portus. C. de operib. pub.

h. Per l. sed etsi. de pet. hæred.

i. Per varias reg. iuris.

us dominus, protectorē diligentem, bona ablata recuperando vel aliquo modo damna nauigantiū reſarciendo præſtiterit: nam & ad hæc omnia obligantur qui *pedagia* a viatoribus recipiunt in itineribus, ſiue ſalebroſis ſiue paludoſis, ſiue latronibus obſeſſis: idem namq; jus vtrobiq; ſeruandum eſt: nam qualiter in terra, taliter in mari [l], duobus his præſtitis, ſcilicet facilitate & ſecuritate; vnde fuiſſe puto quod *Moſes* [m] viam per terras publicam vocauerit *regiam*, ſicut & poſtea Græci ſecundum *Vlpianum*, reſpectu cum dominij, tum ſecuritatis, per regiam protectionem itinerantibus prouidendæ *n.* Sed habet gens quæq; maritima ſuas proprias leges & conſuetudines, a jure communi diuerſas, eidemque plerumq; præferendas [o].

Vbi principes dominoſq; maris chriſtiane humiliterq; monitos exopto, vt ſecubi de præternauigantibus maxime demerere ſtudent, famæq; ſuæ cōtra tyrannidis notam conſultum cupiunt, tanto ſe arctius humanitatis moderationiſq; cancellis contineant, auerſi ab auaritia: alioqui ſi legitimi vectigalis modum exceſſerint, forte dominij ſui ſeu dominationis titulum ad pretium aliquod rigide appēdentes, multo præſtabit nauigantes pericula ipſa qualiacunq; ſiue ſpolij ſiue naufragij obire, ac cecæ fortunæ ſe ſuaq; committere. Hæc de nauigandi jure dixiſſe ſufficiat.

k. *Bald. in c. qui feudum dare poſs. & c. 1. de pace iuram. firmand. per l. ſiquid. de incend. ruin. nauf.*

l. *Per notat. ad c. vbi periculum. de elect, lib. 6.*

m. *Numer. c. 21. v. 22.*

n. *Per c. 1. quæſūt regal. l. 2. §. 22. nequid in loc. pub.*

o. *Pet. Gregor. lib. 29. c. 10. n. 2.*

CAPVT. III.

Ius piscandi maxima parte appropriatum esse.

SIcut Deus homini à principio præceperat *vt dominaretur in Pisces*, sic & mirabili sua erga infirmum hominem gratia, præparauit dominandi facilitatem: Etenim non arte piscandi solummodo instruxit, sed & pisces ipsos abundanter, quasique ante ædes natare fecit. Non quod ea sit maris vniuersaliter in fœcunditate conditio: nam vt propter hominem omnia, sic & quatenus humanus vsus postulat, cuncta prouidit. Hinc esse puto quod veluti in terra solitudines, ita & in vasti Maris pluribus locis, procul nempè ab omni littore remotis, vacua plurima ad centena milliaria sunt, in quibus ne pisciculus quidem conspicitur, vtpotè vbi illi, quorum gratia pisces creati sunt, degere nequeunt. Adeò pisces ad humanas habitationes vsque compulit, vt ibi in promptu capientibus essent. Et quod mirere magis, tam variè eos omnes disposuit Deus, distribuitque, vt non omne piscis vbique genus, omnique tempore inveniatur, sed alibi grandia cæte, alibi haleces paruæ, &c. quæ istæ in cœca agmina, statis temporibus, Britanniæ, Insularumque circumiacentium oras per vices quasi, ordineque constanti

sa-

ſalutando, circumferuntur; vt & ipſæ prædictis locis præcipue per Deum ipſum aſſignatæ dicatæq; videantur. Id cum ſic ſe habeat, quid obſtat quo minus indigenæ bonum hoc, procul dubio, ſuum, vna cum albioribus grandioribuſque piſcibus iſthic a Deo quoq; oblatis, poſſideant? Communicationem horum bonorum alijs gentibus denegari nollem, ſed eadem lege, qua illi ſua, id eſt juſto pretio, quin & Domini noſtri illud ad Syrophœniſſam (etſi de ſpiritualibus pronunciatum) *Sine prius ſaturari liberos, non eſt æquum accipere panem liberorum & dare, &c.* analogicè pro nobis facit. Alioqui ſequetur præcepti illius naturalis æque ac diuini violatio, alterum non lædere, ſed jus ſuum cuiq; tribuere.[b] Quodq; mutatis verbis Pomponius ſic enunciat, neminem cum alterius damno locupletari debere[c]. Et poſt eum Tryphonius ex aliena jactura lucrum haurire non oportere: & pertinenter Cicero, natura non patitur vt alienis ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus: nec ſolum natura, ſed & legibus populorum conſtitutum eſt. Quid quod ſacra ſcriptura eadem juris præcepta paſſim & identidem inculcat: læduntur vero Britanni, immo ſpoliantur, dum maria ſua, peregrinorum piſcatorum, quaſi inundatione continua, ſic occupantur, vt non modo piſces exhauriuntur ſed & piſcium congregationes diſſipantur: ita vt vbi ante annos 30. piſces ad ipſas ædes in cumulis exundabant, hodie ad multa millïaria diſperſi fugatiq;, magno cum pauperum piſcatorum labore periculoq; egerrime apprehenduntur. Vt veriſſimũ illud Bataui cõperio: *Si qui mari imperaret, quicquã prohibere poſſet, maxime piſcaturam qua quodammodo dici poteſt*, inquit ille[e], *piſces exhauriri.*

a. *Math* 26 *Marc.* 7. 27

b. § *Iuris præcepta. inſt. de iuſt. & iur. & l. iuſtitia. de rer. diuiſio.*

c. *l. nemo. de reg. iur. & l.* 14. *de condic. indeb. & l. iure. de iur. dot.*

d. *offic.* 3.

e. *pag.* 25.

Quod

Quod dum considero, non possum præterire quod ante seculum hoc, post cruentissimam ex occasionibus maritimis discordiam inter Scotos Batauosque: res in hunc modum composita fuit, vt batavi imposterum abstinerent ab oris Scoticis ad octuaginta saltem milliaria, & si fortè vi ventorum in propinquum deferrentur, vectigal certum ante regressum ad Abredoniæ portum penderent, vbi & turris hac alisque de causis extructa fuit, id quod Batavi bona fide maiorum nostrorum memoria vsque præstiterunt, donec per frequentiora domi disidia, vectigal hoc cum alijs iuribus commodisq; compluribus, partim gubernatorum negligentia, partimque batauorum audacia, sic euanuerunt, vt batavi tandem, tam licenter, copiosè, frequenter, passimque, incolis conspicui, ad littora vsque oberrant, vt hodiè non *Contracta pisces æquora sentiunt*, sed contrà pauperes piscatores Scotici magno suo malo percipiunt maria dilatata, pristinamq; piscium copiam euidenter imminutam. Et quod deplorandum magis est, piscationem hanc, conditione iniquiter dispari, vtrinque exerceri; illi enim domum remeant & piscibus nostris onusti, & ab omni vectigali immunes: dum Scoti præter iustas Ecclesiæ decimas, etiam fisco piscariam, labores eorum sumptusque sæpe superantem, persoluere coguntur. Disparitatem etsi iniquissimam rationique aduersissimam, quam insolenter impudenterq; affirmat batauus, quoniam æquoribus innotescere cupio, illius hîc verba interjicere placuit. *Subditi*, inquit[f], *in quos legem ferendi potestas reipublicæ, aut principi ex consensu competit, ad onera ista forte compelli poterunt: sed exteris ius piscandi vbique immune esse debet.* Quot verba, tot absurda hic, ac ridenda quam refutanda magis.

f. Pag. 28.

Verum enimuero ne quis hæc à me vel odio vel inuidia

vidia prolata putet, ego meam de gente illa opinionem ingenuè paucisque proferam: fatentur omnes virtutem vel in hoste laudandam. Quis ergo dubitat Batauorum industriam suis quoque laudibus extolli debere. Erasmus Batauorum decus, seculo vix dum elapso exprobrauit eis stultitiã stoliditatẽq;[g]: qua sanna (sic conjicio) experrecti ad industriam tam serio se postea accinxerunt, vt solo patrio necessariorum copiam denegante, à paucis annis sedulitate peritiaque in negotijs omnis generis per mare exercitorijs sic excelluerint, vt nationes vicinas tum in admirationem tum ad disciplinam quasi exemplo Rhodiorum prouocarint. Atque hoc laudis & vlterius ipsis jure tribuendum censeo, nisi Britanni in Deum magis grati, socordiam suam excutientes, se ad bona sua vtenda fruenda ocissime expediuerint.

g *in encomio morias.*

Digressus sum quidem, sed non extra viciniam, iam redeo communionisq; assertoribus concedo, feras Bestias, Volucres, Piscesq; Iure gentium fieri capientium, secundum *Caium*,[h] Dummodò & mihi rursum concedant quod *Caius*, vt supra notaui, subiungit,[i] *Plane* inquit, *Qui Venandi aucupandiue gratia, alienum fundum ingreditur, potest, a Domino fundi, si is præuiderit, prohiberi ne ingrediatur.*

h *Dicta. l. 1. de acq. rer. dom.*

i *l. 3. §. de eod*

Eadem quoq; ratione dico ego & dominum alicuius partis maris abarcere posse peregrinos exterosue piscatores, ne intra dominium suum ad piscandum accedant: Tritum enim illud est, *Vbi eadem ratio, eadem quoque iuris dispositio. & quæ non differunt ratione, non differũt iuris dispositione.* Quibus addo illud *Venulei*,[l] *Contra extraneos quælibet possessio seu titulus prodesse solet.* Vnde manifestũ est communionẽ hanc Iurisconsultorũ, 1. super mutilis ipsorum sententijs fundatam, esse infirmissi-

l. *l. vlt. de acq. poss.*

mam quum vel priuatus quiuis eam vel sola prohibitione auferre possit, nec *Vlpiani* illud tam hæsitanter dictatum officit: *Si quis me prohibeat piscari in mari, an iniuriarum iudicio eum conuenire possum? Sunt*, inquit, *qui putant iniuriarum me agere posse.*[m] Sed quum dubitantem hic *Vlpianum*, simul et quem ipse citat, *Pomponium*, item *Martianum*, reliquosq; Iurisconsultos super piscandi in mari argumento examinauerimus, comperiemus, nihil eos arbitratu suo statuere aut definire, sed opiniones tantūmodo suas authoritate, vel Principum, vel Prætorum, confirmare. Subdendo, *idq; Diuus Pius, piscatoribus Formianis, & caupenatis* rescripsit[n]. & alibi[o] *vt Princeps id concedat*: ac *Pomponius* similem cautionem annectit. *Decretum tamen Prætoris adhibendum est, vt in Mari littoreue ædificare*[p] *liceat.*

Ex quibus omnibus liquidissime apparet, omnia illa Mare littus[p], vna cum iurisdictione, protectione, vectigalibusq;, &c. quæ isti pro communibus promulgant, in dominio tamen Principis *Romani*, vel ipsis subscribentibus, fuisse, nutuq; illius sic recta gubernataq;, vt minimè communia, sed aut Principis propria, aut populi *Romani* publica æstimanda fuerint: quo sensu *Modestinus*[q] vocat *Romam, communem Patriam*: nam certum est, non sensisse eum *Romam* fuisse Patriam omnibus omnino gentibus communem. Qua in materia, nec verbum illud Iure-gentium apud Iurisconsultos, ius aliquod certum ab omnibus æquè gentibus conclusum significare potuit, sed nationum tantūmodò per exemplum, siue consuetudinē naturaliter inter eos obseruatam, consensum, quasi dixissent, veluti apud alias gentes liberum est cuiq; ex gente piscari in Mari suæ gentis proprio, sic & *Romanorum* subditis, piscari in maribus *Romanis*. Atqui ad hunc sensum, Potestatem, Iure-gentium, communem

[m] *l. iniuriarū §. Si quis. De iniur.*

[n] *l. 4. de rer. diuis.*

[o] *l. prohibere. §. Quod etsi. Quod vi aut clam.*

[p] *l. Quamuis 50. de acq rer. dom.*

[pp] *Littora nequid in loc Sacr.*

[q] *l. Roma ad municipal.*

munem piſcandi in mari eſſe volo, nec aliter.

Deniq; vt per viam interrogationis, concludam, ius piſcandi non omnibus vbiq; gentibus commune eſſe; iam non quæro cum *Paulo*[r] Si maris proprium ius quiſquam habeat, aut an ad aliquem id pertineat[s]. Sed cum *Marciano, Papinianoq;*[t], dico, affirmoq;, *quia priuatus quiſpiam in diuerticulo Maris pluribus annis ſolus Piſcatus fuerit, id quod certe & Princeps*[u] *concedere poteſt, illud ideo quaſi proprium ſibi aſſerere alioſque prohibere poteſt*: atq; hinc planiſſime infero, licere Principi, homini, nec priuato, nec priuata curanti, ſed publica, Populoq; ſuo vniuerſaliter proſpicienti, ratione multo [x] fortiori maris partem Prouinciæ ſuæ obiectam, communiq; idcirco prudentum conſenſu, quaſi eius Dominio adiudicatam, ſic pro ſuo poſſidere, vt exteros omnes inde ab omni Piſcatione iure optimo [y] prohibere poſſit. Adeò vt quamuis Ius iſtud ſponte negligat, Dominium tamen illud apud ipſum manet[z]: ſecundum illud *Vlpiani, Differentia inter Dominium & poſſeſſionem hæc eſt, quod Dominium nihilominus eius manet, qui Dominus eſſe non vult.* Ac de iure piſcandi hactenus.*

r *l. Sane* 14. *de iniur.*
s *l. ſi quiſquã de diuerſ. & tempor. præſcr.*
t *l. præſcrip. in pr. de vſucap.*
u *l. Fin. C. de Fund. Patrim. lib:* 11.
x *Secundum notat. in c: vbi periculũ. § Porrò verb: territorio. de elect. in* 6. *& gloſſ. in l. licet de Feriis.*
y *Vide nouell. Leonis* 102. *&* 103
z *l. Si quis* 17. §. 1. *de acquir. poſſeſ.*

CAPVT. IIII
Mare esse Vectigale.

DE Mari secundum partes in dominia distincte diuiso, deque dominiorum iuribus ad nauigationem piscationēque pertinentibus, fere hactenus, fere dixi, propter imposita quæ à nauigantibus piscantibusq; exigi solent, nondum prout oportet clare demōstrata. Vbi nequid temere proferam, quantum potero cauebo: res enim ipsa vt contradictioni subiecta sic variè perplexa est: nec mirum si quis tributorum impositorum Originem, causas nouas veteresque, genera quoque ipsorum plurima, tot quot res, cum nominibus, vt plurimum improprijs, antiquis, insolentibus, pro cuiusque non gentis sed imponentis arbitrio effictis, adeo confusa omnia, vt eadem ad ordinem redigere hoc opus hic labor esset.

Sed quum pars maris cuilibet regno prouinciæq; attributa, pro continua eiusdemque territorij parte, cum prouincia ipsa habeatur, de vectigalibus, tributis, impositionibusque pauca prius in genere pro vtroque præmittenda censui, vt vectigalia maritima perinde quasi facilius certiusque eluceścant.

Tributum à vectigali rectè discernitur: hoc enim à vehendo seu vectura deductum, denotat quicquid ex rebus quæ invehuntur & evehuntur, siue per mare, siue per terram, fisco penditur: id quod aliter portorium à portando dicitur soluiturque propter vsum viæ publicæ [a]: tributum quoque à tribuendo siue respectu eorum qui contribuebant, siue ipsorum quibus intribuebatur, significat vno modo id quod ratione soli, bonorumque im-

a. *Per l. siqui. de Don. inter vir. & vxor.*

immobiliũ fisco datur à possidentibus, onus fructuum scilicet [b]. Atqui hic est proprius fere horum vocabulorum & sensus & vsus. Ast aliâs vtrumque latius vsurpatur, vt vectigal pro fructu redituque quovis, vnde parsimonia magnum vectigal, & pro noua quauis exactione, quam impositionem vulgo vectigal nouum appellant; Vt tributum quaslibet res alias quæ in contributionem veniunt [c]. Vt aurum argentum equi, &c. Quibus voculis si promiscuè vsus fuero in hoc argumento, nequis carpat protestor.

b. *l. 1. & t. C. sine cens. l. 7. De vsufr. l. neque de impens. in res dotal.*

c. *Per l. ager. 27. de verb. sig.*

De Origine itaq; primùm, dein de causis, post de generibus vectigalium. Quibus præmissis ad maritima plenis velis descendemus.

Origo eorum apud Romanos hæc fuisse videbatur. Postquam spontaneas oblationes & auxilia seu subsidia sufficere cessarent, placuit ex lege imponere tributa, census & vectigalia, quæ cum ad stata tantum tempora indicebantur (quæ post indictiones ideo dicebantur) & colligi quoq; cogebantur (vnde collectæ vocabulum) quæ posterioribus seculis omnia cum mulctis, bonis vacantibus, confiscatiouibus piscationibusq; inter regalia sic numerata sunt, vt iure diadematis coronæ annexa cum cæteris similibus habeantur [d], principisque bona propria [e].

d. *§ 1. quæ sunt regal. de vsib. feudor.*

e. *in l. 2. §. 4. nequid in loc. pub.*

Originem sequuntur causæ, inter quas prima est regni defensio quia vectigalia pecuniæq; publicæ sunt nerui reipub. vt absque quibus ne conseruari potest [f]. Adeo vt eorundem exactionem incuitabilem fore vere pronũciauits. Causa huic proxima est regni maiestas, quam secundum omnes suas partes sartam tectam, subditorum æque ac principum interest. Ex his tertia pariter promanat, Principis prout expedit decetque honorifica sustentatio. Hinc illud

f. *Cic. pro leg. Manilia & Iustinianus. Nouel. cõst. 16. & 4. supplc. nouel.*

g. *Nouel. 8.*

Chrysostomi [h], *ab antiquis temporibus communi omnium sententia Principes à nobis sustentari debere visum est, ob id quod sua negligentes, cõmunia curant, vniuersumq; suum negotium in iis impendunt, quibus magis quæ nostra quam sua sunt saluantur.* Huic succinit Thomas [i] Aquinas, *principes tributa recipiũt quasi ministerii sui stipendia: laborant enim pro communi pace conseruanda*; à quorum necessitatibus, si subditi opem suam substraxerint, metuendũ ne Theodorici illud verissimum sentiant, *periculosum animal rex pauper* [k]. Regis enim diuitiæ sunt populi copia & opulentia. Fœlix itaq; & Princeps & populus, si regnũ extraordinarijs tributis carere posiet [l]. Hæc etsi initio ob necessitates iusta sunt, cessante tamen causa, ni ipsa quoque cessent, iniusta fiunt. Tertiam hanc causam vel simili isto concludere liceat. Quum princeps populo vice sponsi sit, quid obstat quo minus tali sponso bona dotalia pro onere matrimonij sustinẽdo tradãtur [m]? Adhæc, *quis vnquam stipendiis propriis militauit?* inquit Paulus [n].

Causa quarta, æs alienum ex honestis causis contractum [o], vt ex sui redemptione, filiæ in matrimonium elocatione, alijsque occasionibus ad imperij maiestatem, vel priuatas etiam necessitates spectantibus [p]. Hanc causam confirmat consuetudo multarum regionum, in quibus vel domini clientares à vassalis suis exigunt recipiuntque collectas, ad filiæ dotem, ad honestam peregrinationem, ad equos contra hostes comparandos, ac sui denique redemptionem, sed nunquam supra duplum annui reditus debiti [q].

His addi potest **quinta**, in signum nempè subiectionis, ob quã Israelitæ imposuere Amorrheis Iebusæis; [r] vt postea tum Dauid tum Shelomo Syris Philisteis Ammonitis, reliquisque hostibus &c. Hæc pro causis

suffi-

h. *In epist. ad Rom. c. 13.*

i. *Ibidem.*

k. *Apud Cassiodor. lib. variar. lect.*

l. *Stephanus lib. Sent.*

m. *Secundum l. pro onerib. C. de iur. dot. & l. actione §. fin. pro socio.*

n. *1. Cor. 9. 7*

o. *Wesenb. consil. 47. n. 4*

p. *Idem cons. sil. 46. n. 20.*

q. *Angel. in § aque si agat. inst. de actio.*

r. *Iud. 1. 35. 2. Sam. 8. 10 & 1. Reg. 5. 20. 21.*

sufficiant.

Locus ordine proximus debetur vectigalium generibus. Quæ sunt vel ordinaria, vt quæ lege vel consuetudine imposita, constanter ad stata tempora solui oportet[s]: vel extraordinaria, quæ otdinarijs deficientibus, & necessitate magna vrgente, quasi pro vltimo auxilio subditis à principe indici possunt[t], quæ rectè subsidia tunc appellantur. Sicut actio quæ pupillis contra magistratus, tutoribus excussis, datur, subsidiaria dicitur[u]: quæ si necessitate lapsa repetantur odiosa fiunt[x]; quibus tamen omnes omnis ordinis obligantur, etiam Ecclesiastici[y]: necessitas enim dat non accipit legem[z]. Germani Galliq́ue eximunt nobiles suos qui bona sua ad patriæ decus expendunt[a].

Habet denuò vtrunque genus species suas quamplurimas pro materia req́uecui imponuntur, multiplici. Quæ verò materiam impositionibus suppeditant, sunt aut mobilia aut immobilia. In mobilibus sunt hominum personæ, hominum labores, & ordinarij & contingentes. Bona item hominum ordinaria & bona fortuito emergentia. Quibus breuiter recensitis pergemus ad materiam immobilem.

Vectigal personis impositum capitatio dicitur, quam Deus ipse præcepit Mosi ad semiciclum argenti in singula capita masculorum 20. annos attingentium[b]. Sed Romani capitationem vt in Syrios à 14. anno in masculis & 12. in fœminis vsque ad 65. ætatis annum[c], sic in Iudeos omnis ordinis immo in Christum ipsum[d] exercuerunt. Hanc Richardus 2. Anglor. 1381. imitatus exegit grossum argenteum pro singulis subditorum capitibus[e] fortè sui seculi exemplo: nam Berengarius decem modios nummorum capitatorum per Italiam collegit[f].

s. *Bartol. ad l. vnic. C. de muneric. patrimon. li. 10.*
t. *Per l. 1. §. quod si nemo Quod quisque vniuers. nom. & Bart ibi.*
u. *l. 1 in pr. & § non tantum de magist. conuen.*
x. *Per l. 1. C. ne quis inuitus. lib. 11.*
y. *C. principes 6. 23. q 5. & l. 4 in instruction. C. de sacrosanct.*
z. *per l. nemine de relig. & sumptib.*
a. *Chrysoph. Vincesler.*
b. *Exod. 30. 11.*
c. *l. 3. de cens.*
d. *Mat. 17. in fin.*
e. *Vide hist. Ang.*
f. *Luithbrand. de reb. per Eu[illegible]*

Huma-

Humanis laboribus imponebatur, vt baiulis geruli-q; octaua mercedum g, & litibus quadrageſima, & arti meretriciæ [h] quod vectigal Seuerus vetuit inferri in ærarium [i]. Itineribus ſimiliter portationibuſque ſiue per mare ſiue per terras, tributa particularia ſuis nominibus diſtincte notata, vt pedagia ex iter per pontes viaſque ſalebroſas paludoſaſque facientibus, ſed arte ſumptuque publico complanatas, non ſecus quam beconagia; guidagiaque per maria periculoſioria nauigantibus, & anchoragia portum ſtationemque intrantibus, ac portoria merces per mare per terras exportantibus vel importantibus. Quæ omnia ſuas habent rationes iuſtiſſimas, propter impenſas vtrobique factas commodaque [i] itinerantibus nauigantibuſque inde promanantia.

g. *Suetonius in Caligula.*
h. *Dion. Caſſius in Caligula. lib. 59.*
i. *Lãpridius in Alex. Seuero.*

Laboribus vero contingentibus, vt ijs qui fiunt circa argenti, auri, ſtanni, plumbi, ſulphuris, crætæque ſodinas [k] & ſalinas & res in mari inuentas. Quin & ſi quis ex paupere ſubito diues factus eſſet, non ſecus vectigal pro modo facultatum agnoſcere per Nicephorum cogebatur, quàm ſi theſaurum inueniſſet [l].

i. *Secundum c. ſuper quibuſdam & c. 26 § Præterea de verb. ſig.*
k. *l. cuncti C. de metall.*
l. *Vide lib. 1. iur. orient.*

Atqui vt hominum labores vectigali ad modum prædictum onerabantur, ſic & homines vice verſa eorumq; & beſtiæ & res, laboribus certis obſtringebantur, quos angarias & parangarias præſtationeſque vocitabant. Angariæ & parangariæ ſignificant *poſtas* vt vulgo loquuntur, diſpoſitis locis ad epiſtolas regias deferendas, aliaque officia publica exequenda, in procinctu excubantes, item iumentorum plauſtrorumque, vt & nauium pro neceſſariorum pace belloque per mare per terras tranſportatione: quæ omnia regalijs adnumerantur [m].

m. *d. § 1. quæ ſunt regalia.*

De perſonis laboribuſque vectigalibus diximus: Pergamus ad bona quæ ſunt aut immobilia aut mobilia.

In

In his sunt animalia quibus & capitationem quandam Romani principes imperabant [n], sed inter mobilia vectigali ordinarie obligata, sunt merces exportatæ vel importatæ siue per terram siue per mare, quæ varie pro arbitrio principum populorumue pensitantur. Vectigal earum portorium à portando: Gallis *Telonea*, voce à græcis sumpta, Saxonibus, septentrionalibusque *Tol.* vt Italis *gabella*. Huius author Romæ [o] primus fuit Iulius Cæsar, de qua vectigalis specie Stephanus ita scribit [p]. *Si vectigal nouum evitari non potest, tunc onerentur merces peregrinæ quæ ad luxum magis quam ad necessitatem faciunt, vt aromata, vnguenta, gemmæ: vt per hanc iacturam diuites quoque frugaliores reddantur.* Quibus & vestes holobericas & holobrizas non inepte per imperatorias constitutiones [q] addidisset. Quin & Shelomo multis ante Cæsarem seculis per publicanos suos vectigalia ex aromatibus & id genus mercibus pretiosis receperat: Etsi nulla ad id necessitate adactus sed contra rebus omnibus ad superfluitatem abundabat.

n. *l.* 7. *C. de immun. nem. coneed. lib.* 10

o. *Sueton. in Iulio. Cæsar.*

p. *lib. Sentent*

q. *Vide t. c. de vestib. Holobericis. C. li.* 11. *Re.* 10. 15.

Vectigal denique ex omnibus hodie venalibus exigitur non tantum à mercatoribus solidarijs, sed & à propolis etiam de esculentis poculentisque, vt non mirum fuerit platano vmbræ causa, vt refert Plinius, ex alio orbe transportatæ vectigal olim suum fuisse impositum. A portorio tamen libera sunt quæ ad vsum familiæ, ad agriculturam, ad fiscum pertinent [r], & quæ non comparantur, vt reuendantur [s].

r. *l. vniuersi. C. de vectig.*

s. *l. in lege vers. neque ideo emisset vt venderet.*

A mobilibus transeamus ad immobilia, vt prædia, fundos &c. ex quibus frumentum, vinum, oleum, carnes cæteraque ad annonam pertinentia, ad modum numerumq; in locatione censitioneue præscriptum præcise præstari oportet, nec aliter: ideoque tributum hoc, tum canon quasi regula immutabilis, tum census nuncupatur

quod in censu id est tabella in qua vel ciuium facultates agriue Romani, cum suis æstimationibus describebantur, secundum Theophilum [t], & Cassiodorum [u]. His succedunt pascua, quorum vectigal scriptura dictum fisco quoque inferebatur. Sed & pecunia per singulos focos siue infumibula principi numerabatur, pro specie quadam census prædiorum, præsertim vrbanorum, tributumque hoc, fumarium nominabatur.

t §. fin. inst. de libert.
u. lib. variar. lect. epist. pen.

De vectigalibus summatim, tam extraordinarijs, quã ordinarijs deque ipsorum secundum variam materiam, mobilem & immobilem, speciebus hactenus.

Sup[illegible] vt vectigalia proprie maritima cum eorum causis, potestateq; eadẽ imperandi perstringamus. Vectigalia maritima varia sunt pro causarum varietate. Inter quas occurrunt, primo loco, signa illa qualiacunque veluti vasa vacua inaniaq;, ad nauigantium conspectum semper, ijsdemq; locis supta natantia, interdiu scilicet, vt ab obscurioribus scopulis, harenarumque cumulis præter uauigantibus cautum fiat. Noctu vero luminaria de speculis pharis editisq; locis portum stationemue indicantia. Quibus nequis littorum accola abutatur, falsum lumen proponendo, vt nauigantibus in periculum deductis, execrãda ipsis præda paretur [x], pœnis attrocibus quasi contra homicidas prouisum est [y]. Similiter & cãpanæ alicubi scopulis tenaciter in rectum affixæ vẽto quouis præternauigantibus sonant. Quæ omnia vulgariter becona vocantur, vt & vectigal his debitum *Beconagium*: sequitur *Anchoragium*, quod ab his qui portum stationemue intrant commodam, exigicur, siue negotiandi, siue tempestates deuitandi causa, ibi Anchorã dimittunt. Huic succedit pilotagium, merces nempe quæ peritis portuum littorumq; gubernatoribus, quos Pilotas vocant, persoluitur. Huius farinæ quasi vltimum

x. l. 10. de in. rui. naufr.
y. Per. l. saecularij de extra. cog. & per. l. capitolium. § incendiarij de pen.

est

eſt illud quod portu ſoluentes pro veniæ teſſara ſeu ſalvo conductu (*cocquet vulgo*) numerant. Quod diploma ſiue breuiculum qui nauigaturus contemnit, prædonibus prædam ſe & cuilibet iniuriæ ſponte objicit proditque. Sunt horum vectigalium cauſæ manifeſtè iuſtiſſimæ, neceſſaria nempè continuaq; portuum, ſtationum, luminariorumq; ſuſtentatio & reparatio: portorium hac claſſe eximo, vt ad merces venaliaq; magis quam ad naues pertinens.

Sed inter maritima vectigalia prodeunt non poſtrema piſcariæ, protectiones, & nauium præſtationes, momenti maximi, vt & dominij ſeu dominationis agnitio.

Nauium vſum, quum vel publica populi vel principis negotia tam in pace quam in bello continuum poſtulent, idq; omnium generum ſiue onerariarum, ad annonam tranſuehendam, ſiue actuariarum, ad principis miniſtros vel milites trajiciendos, ſiue oblongarum ſimiliumque ad vſus militares aptatarum, quis dubitat deberi [z]? Adeo vt omnibus naucleris nauiumq; dominis, præſtationes tales, vbi opus eſt, contra omnem immunitatis allegationem, onus paratiſſime exequendi imponitur[a]. Vt naues, ſimiliter & nautæ pro neceſſitate publica angariari tenentur.

Sed vinculo longe arctiore obligatur gens maritima, maris protectoribus, dummodo ſtrenuis, mariſq; dominium reipſa vindicantibus, vt pote nauigantes & honeſta commercia exercentes, contra piratarum aliorumq; violentiam iniuriamque, in diſtrictu ſuo, protegendo. Preſertim quum iura omnia principibus dominium hoc imperiumq; [b] eatenus concedunt, vt maris quoque diſpoſitionem ipſis cum poteſtate vectigalia eidem imponendi permittant [c], quam poteſtatem Chriſtianus quiuis moderationis fræno cohiberi exoptabit, vel princi-

z. *Per l. 1. C. de naub. nom excuſ. lib. 11. & l. 2. C. De quibus mune. rib. lib. 10.*

a. *Vide alberic ad tit. naut. caup. & notat. ad d. l. 1.*

b. *Vide l. cõtinuus. § quẽ quis. de contrab. emp. & l. ſed celſus. in pr. & l. quo minus. de flumin. & Bartol. in tract. tyber. lit. de aluæo. verſ. iuriſgent. per gloſ. ſeu conſequens l. venditor. com præd. & l. ſeruitutes. §. pen. de ſeruit. cepola. c. 42. n 4. de ſeruit. ruſt. præd. per l. colonus. §. nauem. loc. Bardelonus. conſ. 91. n. 9.*

pum ipsorum gratia, nempe vt illa illorum potestas facile beneuoleq; a nau igantibus agnoscatur.

Vectigalia ista claudit piscaria, vt maris domino qui onus & curā illius in se suscipit, merito[d] debita[e], sed quæ synalagma, vt & reliqua illa imposita, inducit: scilicet vt maris dominus piscatores sollicite protegat, piscationemq; ipsam in commodum publicum, prudenter ordinet, præcipiendo vt statis aptisque temporibus omnia exerceantur: alia enim est halecum captandarum, alia thynnianæ piscationis ratio opportunitasq;. Nam si durante halecum piscatione pisces grandiores, vt thunnos balenas & huiusmodi quis aggredi velit, halecum minorumq; piscium agmina facile dissipabit.

Vectigalibus deniq;, siue ad nauigationē siue ad piscationē pertinētibus, quantū præscribi possit, uel quis modus definiri debeat, ne conjicere quidē audeo: arbitraria nāq; sunt ista, neq; vbiq; getiū vniusmodi, sed alibi aliter: habet enim vt dixi quæq; natio suas & consuetudines & leges. Id circo dominos maris quibus onera ista imponendi potestas data est, denuo oratos velim, ne quicquid possunt velint, quia non omne quod licet honestum est[f], ideoq; subditorum suorum humeris parcentes, eos, per sensum potius cōmodi ex salubri administratione promanantis, ad αντιδωρον prouocent. Vbi si noua aliqua necessitas nouam considerationem ingesserit, tunc Stephani illud contra merces exoticas sequantur, i. onerentur exteri piscatores vt à subditis naturalibus prorsus secernendi: Subditi enim maria sua simul cum ipso principe[g], iure vere cōmuni possident. Differētia vnica est, hic imperat, illi parent, vtriq; in Deo domino dominorum, cui laus & gloria in secula seculorum, Amen.

d. *Per l. 2. de rer. diuis.*

e. *l. inter publica in fin. de verb. sig. vbi Bud. aliyque & per l quod principis & l. si in publico de aqua plunia arcend. l. quo minu. & l. seruitut. § publico de flum.*

f. *l. non omne de reg. iur.*

g. *Vide Iason de vsu & proprietate communium in l. quo minus n. i. de rer. diuis.*

FINIS.

C 25240
17438

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION